

ab illis hominibus de villis suis<sup>1</sup> qui sibi sunt subjecti sicut hic boves. Aliaque multa animalia tenentur ad socedam. In ista eadem contrata unum mirabile quid reperitur. Nam unaquæque generatio piscium qui sunt in mari, ad hanc contratam in tanta venit quantitate quod dum sic veniunt nichil aliud videtur in mari nisi pisces.<sup>2</sup> Hii autem cum prope ripam sint se projiciunt super illam.<sup>3</sup> Cum sic autem sunt in ripa veniunt homines et tot de ipsis habent et accipiunt et quod ipsi volunt. Hii autem pisces duobus vel tribus diebus manent super ripam. Deinde venit alia generatio piscis faciens hoc idem sicut prima. Sic etiam de aliis singulisque usque ad ultimam ordinate procedunt, quod tantum semel faciunt in anno. Cum de isto quæritur ab illis de ista contrata quare sic fiat, ipsi respondent et dicunt: Quod hoc faciunt isti pisces qui isto modo veniunt suum imperatorem revereri. In eadem etiam contrata vidi unam testitudinem majorem quam esset revolutio trulli ecclesiæ sancti Antonii de Padua.<sup>4</sup> Sic etiam de multis aliis quæ forte aliquibus incredibilia viderentur nisi illa viderent, quare ea scribere non curo. Cum etiam in contrata aliquis moritur habens uxorem, ipse mortuus comburitur, uxor ejus [vero] viva.<sup>5</sup> Nam dicunt quod ipsa cum suo marito vadit ad alium mundum ut illic moretur cum eo.<sup>6</sup>

#### 24. De Insula ubi Cynocephali.

De ista contrata recedens et navigans per mare Oceanum versus meridiem reperi multas insulas et contratas. Quarum una est quæ vocatur Sacimeram.<sup>7</sup> Hæc insula magna est, circuiens bene per duo milia miliarium; in qua homines et mulieres facies caninas habent. Hii unum bovem adorant pro deo suo, propter quod unusquisque unum bovem de auro vel argento semper portat in fronte, in signum quod ille bos est deus eorum. Omnes istius contratæ tam homines quam mulieres nudi vadunt, nihil de mundo portantes nisi unam toaleam<sup>8</sup> qua suam verecundiam ipsi tegunt. Hii sunt magni corpore et valde fortes in bello, ad quod dum sic nudi pergunt solum unum scutum<sup>9</sup> portant quod eos cooperit à capite usque ad pedes. Dum sic autem vadunt ad bellum et eos contingat capere aliquem in bello qui pecunia exigi<sup>10</sup> non possit, statim comedunt ipsum. Si vero pecunia exigi possit eum habita pecunia abire permittunt. Rex istius contratæ bene tres centas<sup>11</sup> perlas portat ad collum multum magnas, propter<sup>12</sup> quod pro diis suis quotidie trecentas orationes ipse facit. Habet etiam unum lapidem preciosum bene<sup>13</sup> longum et magnum unâ spensâ, in manu sua<sup>14</sup> portat, quem lapidem sic

<sup>1</sup> *Bol.* qui nutriuntur a villanis sibi subjectis sicut apud nos boves et alia animalia conservantur.

<sup>2</sup> *Hak.* et *Mus.* per magnum spatium maris nihil videtur nisi dorsa piscium.

<sup>3</sup> *Hak.* et *Mus.* super aridam.

<sup>4</sup> *Hak.* et *Mus.* Ibi etiam sunt testudines ita magni sicut est unus furnus.

<sup>5</sup> *Hak.* et *Mus.* sicut superius de alia contrata dictum est.

<sup>6</sup> *Ven.* ut in alio mundo similiter conversetur cum eo; *Hak.* et *Mus.* add ne ibi aliam uxorem accipiat.

<sup>7</sup> *Ven.* Nicuهران; *Far.* Nichovera; *Hak.* Moumoran; *Mus.* Mochimoran; *Bol.* Insimezan, probably misread; *Marc.* Nicuveran.

<sup>8</sup> *Hak.* et *Mus.* unum pannum lineum.

<sup>9</sup> *Hak.* has unum scutum de ferro; *Mus.* to same effect.

<sup>10</sup> *Ven.* redimi.

<sup>11</sup> *Mus.* cc.

<sup>12</sup> *Ven.* propterea.

<sup>13</sup> *Ven.* instead of bene has rubinum; *Far.* as in text.

<sup>14</sup> *Hak.* in digito suo; *Boll.* ita magnam quam sicut unâ manu gestare possem.